

Mayerh., de Bylo philos. et orat. 1739

Da
972

625
R
L
J



75,

INQUISITIONEM
CONTRARIETATIS
STYLI PHILOSOPHICI &
ORATORIS

CONJUNCTAM CVM RESOLVTIONE
PROBLEMATIS,
QVOMODO

HÆC CONTRARIA OFFI-
CIA AB VNO EODEMQVE
SVBJECTO,

PERFECTISSIMÈ EXPLERI POSSINT.

VIRO

PRÆNOBILISSIMO AMPLISSI-
MOQVE DOMINO,

DOMINO

BERNH. HENRICO
RØNNEBERG,

PROFESSIONEM ELOQVENTIÆ

1739. d. 14. May. publice in se suscipienti

NOVVM HOCCE MVNVS GRATVLATVRVS

INSTITVIT

JOACHIM LUDOLPH MAYOHL, Rost.

S. S. Theol. & Philos. Cultor.

ROSTOCHII

TYPIS IOANN. IACOBI ADLERI, SEREN. PRINCIPIS
ET ACAD. TYPOGR.

Da 972



INSTITUTIONEM
COMPTABILITATIS
STYLIUM
ORATIONIS

ERUDITIONIS
MAG. GOTTFRIDUS
CLAVIS

PERFECTIONIS
VITAE
TRANSITIONIS
MORUM

DOMINO
BERNARDUS
RENNER

NOVAE
TOCACHIM LUDWIG
EOSTOCHIM
ET ACAD. TUCOCH





Q. D. B. V.

SECT. I.

Similia saepe sunt dissimilia: est Canon logicorum veterum cuius veritatem nemo in dubium vocat, & quem unus quisque ad relationem rerum attendens a posteriori monstrare valet. Possem quidem praeter dissimilitudinem inter genus scribendi Philosophiae & oratoris similitudinem utriusque tractando absolvere. Sed quid opus est verba facere de iis quae unicuique per se clara sunt? sapientes est talia eligere media quae via brevissima ad finem ducunt, ea scilicet quibus positus demum ponitur finis. Hinc meum esse iudico; quasdam Regulas, quas Orator & quas Philosophus observare tenetur, alegando ostendere, quo in utriusque styli disconvenientia contrarietas consistat, antequam me ad quaestionem accingo, utrum haec duo contraria officia ab uno eodemque subiecto perfectissime expleri possunt,

Reg. I.

Philosophus adhibere debet terminos proprios. Ponamus illum etiam uti terminis impropriis sapius terminum in talem significatum transfert, qualis illi non est in communi sermone vel arte proprius. Qui vero alium significatum terrum adscribit, quam ex usu loquendi habet, impedit ut lector ejus sensum vel plane non ob familiaritatem sensus proprii qui sub hac conditione nullus est, vel agre impetrat; maxime si terminus in antecedentibus non est definitus aut lector illum non semper observat. Hoc aum contrariatur intentioni Philosophi, quæ est ut alterianimi sui sensa aperiat (per §. 141 disciplina prælim. Wolffii) Ergo Philosophus non terminos inproprios, sed proprios adhibet.

Huic Regula contraria præcepit Oratoria, dum vult unam rem fibis terve occurrit non semper uno eodemque modo esse exprimendam, sed Tropo affectandam. Quorum quatuor numerantur Metaphore Metonymia synecdoche & Ironia. In hac adducta & adhuc adducendis Regulis cum omnium oratorum unanimitas est consensus non eget allegatione autorum.

Reg. II.

Philosophus uti debet propositionibus accurate determinatis. Philosophus omnium rerum rationem reddere debet (per definit.) Ergo etiam rationem alleget cur prædicatum subiecto competat. Omne prædicatum subiecto competit vel vi definitionis (§. 216. logic. Wolff.) vel conditionate (§. 218. logic.) Ergo Philosophus merito ita loquatur ut appareat, utrum prædicatum subiecto competat vi definitionis an sub conditione. Hinc modo absolute ponere modo conditionem adjicere debet ad determinandum rei statum sub quo illi prædicatum competit, quo facto propositio fit determinata (§. 220) Ergo Philosophus propositiones determinatas adhibere debet.

Ab hac Regula plane diversa est mens oratorum qui propositionem adjectis synonymis Epithetis descriptionibus & formulis conexionis adhuc nudam venditant, & eam per enumeratus

tus figuras potius ampliandam cupiunt. Quis autem nescit figuras fere omnes propositionem reddere indeterminatam: e.g. metonymia adjunctum poni pro subiecto, synecdoche partem pro toto, ut reliqua taceam, jubet. Quomodo jam proderit subiectum aut determinatio subiecti tanquam ratio prædicati; hinc tantum abest ut talis propositio sit determinata, ut potius omnia criteria propositionis indeterminatæ habeat.

Reg. III.

Philosophus nude veritatem proponit. Philosophus si definit: reddit nihil in illis admittit quam quod constituit characterem distinctivum (per per definit) si Thesin demonstrat nihil admittit quam quod requiritur ad Thesin demonstrandam (§. 551). Si propositiones conditio nihil ponit quam quod requiritur ad propositionem determinatam (§. 320.) adeoque nihil admittit, quod non facit ad veritatem demonstrationis definitionis &c. Qui autem ita agit nude veritatem proponit (est definit.) Ergo Philosophus nude veritatem proponit.

Aliud sentiunt oratores qui sibi dedecori vertunt, nude proponere veritatem, ideo figuras dictionis & sententiarum admittunt. Quibus tale in oratione pretium statuunt, quale condimentis in cibo siquidem afferunt ornatum orationi & delectationem auditoribus.

Reg. IV.

Philosophus asserta sua syllogistice profert. Ad demonstrationem requiritur concatenatio syllogismorum (§. 551.) per consequens ut asserta syllogistice proferantur; Philosophus autem demonstrat, ergo asserta syllogistice profert.

Loquitur theorema nostrum de Philosopho κατ' ἐξοχήν sive in sensu riguroso qui asserta sua ex principiis certis deducit & non confuse sed distincte omnia evoluit. De eo omnino valet, quod omnia cogit in forma syllogist. Saltus enim in cogitando absolutus non datur nec distincta evolutio cogitationum permittit saltum respectivum sive apparentem. Qui ve-

ro animam ab una veritate ad alteram sine syllogismo, (qui tamen nisi cogitationes evolvantur non animadvertitur) pervenire posse opiuatur, fallitur. Vide pluribus eleganter Celeb. Wolff. vernünftige Gedanken von Gott &c. Cap. III. § 333. 360. Hoc observandum puto ne contra experientiam loquantur in alios philosophos inguriosus esse videar. Vix ullus existat liber Philos. non interrupta concatenatione syllogismorum conscriptus, quamvis præclara specimina in Philosophia existant, & per multi merito philosophi audiunt. Hinc distinctio valet intermodum proponendi placita sua & eadem investigandi & eruendi: Hic requirit jure seriem syllogis: concatenatam ille vero à forma syllogistica recedit. Contra Oratori syllogismos integros adhibere non licet. Vitio enim ipsi vertitur, si plane veritatem proponit. Sic omnis elegantia & pulchritudo evanescit, auditorio rædium paritur, quod variatione vocum ac phrasium delectatur crebriori vero repetitione unius ejusdemque termini ab audiendo deterretur. Quid? quod quam multæ sunt materiæ, quæ nec examen rigosum patiuntur, & sæpe oratorem falsa pro veris venditare ratio suadet, adest hic ratio cur orator abstineat forma syllogistica. Quod autem sæpe orator, falsa pro vero profert confitetur Quintilianus inst. lib. II. cap. XVIII. Retoricen inquiens non nunquam falsa pro veris dicere confitebor, & in eodem cap: uti etiam vitis Retoricem, quod nulla ars faciat, criminantur. quia & falsum dicat, & affectus moveat quorum neutrum est turpe, cum ex bona ratione proficiscitur, ideo nec vitium, nam & mendacium dicere, sapienti aliquando concessum, & affectus, si aliter Judex ad æquitatem produci non poterit, movebit orator. Et Cicero in lib. II. de oratore dicit: Oratoris enim omnis actio opinionibus non scientia continetur, nam apud eos dicimus qui nesciunt, & ea dicimus quæ nescimus ipsi &c.

Reg. V.

Philosophus præmissas non postponit conclusioni. Summa lex methodi philosophicæ est, ut ea præmittantur, unde quomodocunque

pen:

pendeat cognitio sequentium (p. 133. discipl. prelim. atque expræmissis cognoscitur veritas vel falsitas conclusionis, ergo præmissæ præmittendæ sunt conclusioni.

Propositionem contrariam libertati oratoris relictam esse tam notum est, quam quod notissimum.

Reg. VI.

Thesis demonstranda non est demonstrationi inferenda Ponamus illam inferi demonstrationi, cum demonstratio est series syllogismorum concatenatorum quæ constat ex prosyllogismis (§. 551.) Thesis demonstranda sit præmissa in syllogismis concatenatis adeoque habeatur, pro propositione certa ac demonstrata; hoc cum hypothesin evertit, sequitur Thesin demonstrandam non esse inferendam Demonstrationi.

Contrarium præcipit Halbauer part. II. cap. II. Abtheilung II. von der Erfindung der Ordnung.

SECT. II.

*Hæc pro presenti scopo exhibere contrarietatem styli philosophi-
orator: sufficiant. Restat adhuc ut ostendam hæc contraria officia ab uno
eodemque subjecto quam perfectissime expleri posse.*

Me tacente facile apparet idem subjectum contrariis officiis non simul satisfacere posse. Quo enim admisso duo contraria simul essent vera, quo absurdus nihil excogitari potest. Hæc autem diversa ab uno eodemque subjecto sine contradictione diverso respectu effectui dari posse ex adducendis §§. patet.

§. I.

*In pertractatione multarum rerum non possumus adhibere stylum
philosophicum.* Multa sunt de quibus non possumus rationem reddere (per exper.) Ergo in multis non sumus philosophi (per definit.) & cum stylus philosophicus est scribendi genus quod Philosophi qua philosophi inscriptis suis adhibent (per definit.) in pertractatione

Etatione multarum rerum non possumus adhibere stylum philosophicum,

§. II.

Dantur Casus ubi de veritatibus cognitu necessariis multi certiores fieri debent. Qui cum cultura intellectus & forma demonstrationis a logicis præscripta destituuntur, historice ut illis res proponatur consultum est. Quare scriptor in tali casu potius respiciat ad elegantiam verborum & ad cetera quae nomine ornatus styli comprehenduntur tanquam media attentionem conservandi. Quo in studio cum consistit orat: stylus. Dantur casus ubi Philosophus non, quatenus Philosophus est in sensu rigoroso stylum oratorium scriptis suis inferere & contra stylum philosophicum negligere debet.

§. III.

Philosophus ut Philosophus regulas styli philosophici observans perfecte agit Philosophum ut Philosophum stylum philosophicum adhibere eumque tanquam finem intendere debet. Finis & media sunt relata. Qui vult unum relatorum ille etiam velle debet alterum (per princip. methaph.) Ergo qui vult finem debet etiam velle media. Cum igitur in præsentī casu observatio regularum styli philosophici constituentium medium est, quo Philosophus stylum philosophicum obtinet, tenetur etiam regulas ad impetrandum ejusmodi scribendi genus necessarias observare. Observatio Regul. Philos. inscripto facit consensum ad unum nempe stylum philosophicum obtinendum, qui consensus dicitur perfectio. Quapropter cum Philosophus ut Philosophus observat regulas styli philosophici, talem etiam consensum obtinet adeoque perfectionem; hic quoque perfecte agit.

§. IV.

Orator ut Orator regulas styli oratorii observans perfecte agit. Applicetur hic demonstratio præcedens mutatis mutandis.

§. V.

§. V.

Regula styli philosophici & Oratoris inter se pugnant. Regulae styli philosophici & oratoris sunt propositiones contrariae (per Regulas sect. I.) propositiones contrariae non possunt simul in uno eodemque subjecto esse sed se invicem tollunt, adeoque inter se pugnant (§. 529 log.) Ergo Regulae styli philosophici & oratoris inter se pugnant.

§. VI.

Qui stylum philosophicum purum intendit non potest obtinere stylum oratorium & vice versa. Stylus enim Philosophicus purus ex parte conveniens est regulis styli philosophici & stylus oratorius regulis styli oratorii responderet. Quicquid vero cum una contrariorum sive pugnantium consentit non potest simul cum altero eo conspire, ergo cum Regulis styli philosophici & styli oratorii inter se pugnant (§. V.) Stylus Philosophicus purus non potest esse conveniens regulis styli oratorii, & stylus oratorius negligit regulas styli philosophici. Jam vero stylus, contrarius regulis styli vel oratorii vel philosophici, non potest esse stylus vel oratorius vel philosophicus; hinc nec stylus philosophicus purus potest esse stylus oratorius nec oratorius philosophicus. Quicumque itaque stylum philosophicum purum intendit non potest obtinere stylum oratorium; & vice versa.

§. VII.

Philosophus idemque orator in obtinendo stylo philosophico exceptionem admittit contra Regulas perfectionis styli oratorii.

Cum styli philosophici puri, & oratorii puri Regulae inter se pugnant (p. §. V) nec simul obtineri possunt, (p. §. VI.) Philosophus in obtinendo stylo philosophico puro necessario negligere debet regulas styli oratorii, ex quibus perfectio styli oratorii dijudicatur, (p. §. IV.) ut convenienter agat regulis styli philosophici (p. §. III.) Dum vero talis neglectus regularum perfectionis inter se pugnantium exceptionem parit (p. definit.) Philosophus necessario in obtinendo stylo philosophico exceptionem admittere debet a regulis perfectionis styli oratorii.

)(

§. VIII.

§. VIII.

Cum oppositorum opposita est ratio; Philosophus idemque orator in obtentione styli oratoris admittit determinationes Regulis styli philosophici contrarias ob pugnam illarum cum stylo oratoris; adeoque exceptionem facit a Regula perfectionis styli philosophici.

§. IX.

Si Philosophus in consecutione styli philosophici exceptionem admittit contra Regulas styli oratoris: nibilo tamen minus perfectionem summam styli philosophici obtinere potest. Exceptio est determinatio Regulis contraria ob pugnam Regularum simul observandarum (p. definit.); hinc si philosophus idemque orator in obtinendo stylo philosophico exceptionem admittit contra Regulas Oratoriæ eamque ob pugnam cum aliis, tamen determinationes Regulis styli philosophici convenienter admittere illasque observare potest. Observatio omnium regularum styli philosophici constituit consensum ad unum idemque nempe ad stylum philosophicum obtinendum adeoque efficit perfectionem in suo genere summam, quare Philosophus quamvis in adsecutione styli philosophici exceptionem admittit contra regulas oratoriæ; nihilo tamen minus perfectionem summam styli philosophici obtinere potest.

Quodsi quis excipiat perfectius tamen scriptum evadere si & regulæ styli philosophici & oratorii quantum fieri posset observentur, iis nec contrarius ero, si scriptum ex altero capite dijudicatur. Datur stylus philosophicus & mixtus & purus. Hic respuit omnes regulas styli oratorii, ille vero facile stylum oratorium imitari potest. Qualis vero alteri sit præferendus cujuslibet ingenio per me relinquitur; stylus philosophicus purus affert soliditatem, mixtus lenocinio verbos sapius delectat. Sed quot capita tot sensus. Ex præsentis etiam propositione judicium ferri potest de illis, qui ideo quodcunque scriptum dogmaticum imperfectum venditant, quod forsitan vitium vel ex culpa typographi vel ex neglecta attentione ad horum minutissima ubi ad graviora attendendum est inscienter obreptum, in ejusmodi scripto observatur. Relinquitur saniori judicio aliorum utrum scripti dogmatici perfectio, quam

ma-


maxima tollatur neglectu hujus perfectionis minimo. Non
strum theoremata vix ad ea attendere sed graviora considerare
præcipit. Qui dictis minimis inhærent, plerumque produunt
se non dum ad dijudicanda graviora; sed tantum ad observan-
da minime aptos esse.

§. X.

*Si Philosophus idemque orator in adsecutione styli oratorii ex-
ceptionem committit contra Regulas styli philosophici, nibilo tamen mi-
nus perfectionem summam styli oratorii obtinere potest.*

Cum præsentis proponit: demonstrat: eadem est eam antecede-
nti § IX. data ea super sedere possumus. Ex dictis appa-
ret Philosophum eundemque oratorem officia utraque quam
quam perfectissime explere posse. Hæc sufficiant dum memor
summe non tam ad scribendum, sed ad gratulandum hæc con-
fecisse. Gratulor TIBI itaque, VIR PRÆNOBILISSIME
ex intimo pectoris mei recessu novum, quod hodie in TE su-
scipis officium. Summum quod semper tibi adfuit Numen
sacrum rectumque TE ab omni periculo scruet; augeat vires cor-
poris; augeat vires animi; ut academiæ nostræ indefessis tuis il-
li inserviendi studiis, eo, quo coepisti. pede perrecturus, inservire
queas. Vale. Amice Honoratissime,





Da 972

ULB Halle
007 105 118


3



LD 28







25,

INQUISITIONEM
CONTRARIETATIS
STYLI PHILOSOPHICI &
ORATORIS

CONJUNCTAM CVM RESOLVTIONE
PROPLEMATIS,
QVOMODO

HÆC CONTRARIA OFFI-
CIA AB VNO EODEMQVE
SVBJECTO,

P. 529

PERFECTISSIMÈ EXPLERI POSSINT.

VIRO
PRÆNOBILISSIMO AMPLISSI-
MOQVE DOMINO,
DOMINO

BERNH. HENRICO
RØNNEBERG,

PROFESSIONEM ELOQVENTIÆ

1739. d. 14 May. publice in se suscipienti
NOVVM HOCCE MÛNVS GRATVLATVRVS
INSTITVIT

JOACHIM LUDOLPH MAYOHL, Roff.

S. S. Theol. & Philof. Cultor.

ROSTOCHII

TYPIS IOANN. IACOBI ADLERI, SEREN, PRINCIPIS
ET ACAD. TYPOGR.

Da 972

